

dubitaret aperire, quid cogitaret; vos potestis dubitare, quid fecerit?

XVII. Quemadmodum igitur eum dies non fefellit, dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotiū nihil erat, vidit, necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die: itaque antevertit. At quo die? quo? ut ante dixi, insanissima concio ab ipsius mercenario tribuno plebis est concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperearet, nunquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. Quid, si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire potuerit? quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. Ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset: omnes scilicet Lanuvini. Milo de Clodii reditu unde quaesivit? quaesierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Arrius, meus amicus, dixit, corruerit. Legite testimonia testium vestrorum, dixit C. Cassinius, cognomento Scola, Interamnis, familiarissimus, et idem comes P. Clodii (cujus jampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae) P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse; sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum: itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.

XVIII. Videte, iudices, quantae res his testimoniis sint confectae. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe qui ei obvius futurus omnino non erat. Deinde (non enim video: cur non meum quoque agam negotium) scitis, iudices, fuisse,